



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Philippo rege Romanorum, qui Abbatem ordinis Cisterciensis eadem de
causa notavit, cap. 13

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

NOBILIS quidam monasterium quoddam in Frā-
cia spoliauit; erat autem de ordine nigrorum.
Placuit Abbati & fratribus, vt vnus ex monachis ad
Regem Philippum, qui tunc regnabat, mitteretur, per
quem ei violentia militis exponeretur. Missus est iu-
uenis sanguine nobilis, tanquam qui apud Regem
propter cognatos aliquid amplius posset impetrare
quam cæteri. Veniens ad Regem ait; Domine, vir ille
nobilis multum indebitè monasterium nostrū dam-
nis & iniurijs vexat, sæpe fratres ac familiam nostrā
minis ac contumelijs molestat; rogat maiestatem ve-
stram humilis conuentus noster, quatenus, intuitu
diuinæ remunerationis, eundē nobilem ab iniurijs
tantis compefcatis, & ad satisfactionem condignam
de ablatiis compellatis. Considerās rex gestus vel ha-
bitum monachi, ait: Domine, quis vel vnde estis? Cui
cū iuuenis diceret: Domine filius sum illius, pa-
trem suum nominans: respondit Rex; Bene nobilis es-
tis. Cumque Rex post hæc nescio quid diceret, mo-
nachus subiunxit; Verè domine, omnia quæ habe-
mus rapit, & iam penè nihil nobis dimisit. Ad quod
respondit Rex: Verè domine, hoc bene apparet in
calceis vestris; si aliquid dimisisset vobis corii, non
essent tam stricti: quanto estis cæteris nobilior, tanto
esse debetis humilior. Tunc volens post correptionē
illum placare, adiecit; Non vos grauare debet corre-
ctio mea, quia ad bonum vestrum factum est. Reuer-
timini ad claustrum vestrum, & de cætero non mole-
stabit vos nobilis.

CAPVT XIII.

PHILIPPVS rex Romanorum simile verbum, ne-
scio si habuerit à iam dicto rege Francorum, in
quēdam Abbatem ordinis nostri iaculauit. Ad
quem cū Abbas in equo accessisset, de necessitate
domus suæ cum illo locuturus, Rex eius calceamen-
ta, quæ nimis erant stricta, considerauit: quæ cū
interrogasset; Vnde esset? Respondit ille; Domine de
paupere domo; & Rex; Bene apparet in calceis vestris,
M quod

*Religiosi
sunt hu-
miles in
habitu
& exter-
nis gesti-
bus.*

quòd domus vestra pauper sit: nam corium ibi carum est. De quo verbo valde confusus est Abbas: **APOLLONIVS**: Meritò superbia confunditur.

CAPVT XIV.

CAESARIVS.

ANno præterito, Abbas quidam de ordine nostro, bene notus mihi, cum occurreret Frederico regi Romanorum, qui auunculo suo Philippo successit in Imperio, habens cum illo loqui aliquid, ita cepit equus eius hinnire, lasciuire, & in saltus se dare, ut Regi, in equo satis mansuetò sedenti, nullo nisu posset propinquare. **APOLLONIVS**: Quid putas tantum Principem tunc cogitasse? **CAESARIVS**: puto illum non modicè fuisse scandalizatū, nā simile ei in equo eodē contigit mecum, & ego scandalizatus fui in eo propter equū. Recedens verò à Rege cum multa erubescencia, equo illo effreni uti noluit de cætero. Abbas iste homo erat senex, simplex, satisque humilis ac disciplinatus, licet in hac equitatura minùs fuisset circūspectus. **APOLLONIVS**: Quod iuste in religiosis secularibus displicet; Deo placere non potest. **CAESARIVS**: Verum dicis, quia Deo debemus conscientiam, hominibus famam. Omnibus Christianis dicitur à Christo: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ut enim taceam de scandalo sæcularium in superbia religiosorum, cum Iudæi & pagani superbiam vel signa superbiæ vident in Christianis, religionem Christianam horrent, & blasphematur nomen Christi per eos. De hoc tibi verba cuiusdam Saraceni referam memoria valde dignissima.

Mat. 11.

CAPVT XV.

FRater Wilhelmus, aliquando camerarius noster, ante conuersionem canonicus fuerat apud Traiectum inferius: hic tempore adolescentiæ suæ signatus cruce, gratia dominici sepulchri transfretauit. Antequam nauis, in qua erat, portum Achonis attigisset, ignem facularum ante ortum auroræ circa ciuitatem in diuersis locis tam ipse quam ceteri viderunt:

*Vita
Christia-
norum
scanda-
lizat in-
fideles.*